

V c
3085



*M. Abrah. Cumeri Gratulatio ad Christian. II. Elector.
Saxon. Principes Duces et Electores Sax. carmine
recessens Dresd. 1583. 4.*

**ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO
DOMINO CHRISTIANO, DVCI
Saxonie, Landgrauio Thuringie, & Marchio-
ni Misnie & Domino suo Clemen-
tissimo.**

Vc
3085

H. 28, 4



Vbi non est, Christiane Prin-
ceps & Domine Illustrissime,
quin populorum dignitas &
gloria coniuncta cum Regum
sit salute atq; fortuna: id enim
& historie veterum & exem-
pla recentia testantur, nullam
vnquam magnam calamitatem
terras inuasisse, cuius expertes fuissent Gubernatores
ac Duces populi, quemadmodum nec vlla fuit Regum
felicitas, que non in subiectos se tanquam vberrimi
fontis riuuli letissima rigatione effuderit. Atq; ideo
iudicare facile est, cur magistratum legitimum arbori
speciose & umbratili, hominum, ferarum, ac volu-
crum altrici liber conferat Danielis: Nec quis repre-
hendi iure possit, si vt salutem animæ Dei Verbo, cuius
ius in sola IESV CHRISTI Ecclesia vera est
sinceraq; cognitio, ita fortunarum & corporis conser-
uationem Regibus ac Principibus secundum Deum ac-
ceptam



ceptam ferat, quos nomine Dei dignatur scriptura prophetica, & patres propitios atq; vim Dei imaginem sapiens & erudita vocat gentilitas, Constat hoc etiam, non esse felicem Imperiorum gubernationem absq; Dei clementis auxilio, qui dat salutem Regibus, & aut manus eorum dirigit in prelio, victoriaq; & triumphis coronat, aut finibus pacem donat, & ciuitates ipse custodiens seras corroborat portarum, & benedicit habitantibus in eis, vt Rex Sanctissimus loquitur. Quam vero miserabilis sit, & plena malorum atq; tumultuum omnis regnorum mutatio, Luce est meridiana clarius, e fieri illam ab irato Deo propter peccata hominum, docent sacrae litterae. Eam ob causam gentium humaniorum pleraeq; id operam dederunt, vt in magistratibus deligendis familias facile ne mutarent. Et Lacedaemonij quidem ne Regum genus ex Hercule sibi interiret, Anaxandriden vxori sterili coegerunt superinducere alteram, ex qua liberos susciperet & Spartiatis Reges Heraclidas procrearet. Persae autem Magis occisis, & recuperato atq; Achaeonidarum familiae restituto regno, non tantum Magophonias festum solenni die publice celebrarunt, sed etiam natis Regibus filijs supplicatione ad templa Diuorum instituerunt et obtulerunt munuscula: ex quo gentis ritu nato in terris filio Dei quidam ab oriente assantis terrae suae et in sarcinis compositis rebus preciosissimis, ad Iudeorum vrbes peruenerunt, inuenioq; Bethlehemi puero I E SV aperuerunt thesauros,



ros, donantes illi tanquam Regi & Domino ea quae attulerunt, aurum, thus, & myrrham: quemadmodum in historia Evangelica commemoratur.

Hæc cogitanti mihi & consideranti diligentius, fortunatissima videtur gens nostra & Mysorum natio, quæ inde à THYMON E. Magno ad præsentem vsq; Illustrissimi Principis Electoris Augusti Domini mei clementissimi gubernationem, ex vna stirpe continua serie genitis Principibus, Illustriss. celsitatis T. maioribus laudatissimis, paruit annos pænè quingentos: quo tanto tempore etsi aduersantis fortunæ impetum experta nonnunquam est, ita tamen protectione diuina, & Ducum suorum magnanimitate, virtute, fide, felicitate defensa fuit, vt & Dominis proprijs asserta, & nouis semper sit opum, potentiae, dignitatum accessionibus locupletata, & iam inter præcipuas Germaniæ prouincias emineat pietatis & iusticiæ laude, exculta religione, literis, & humanitate. Hæc tanta bona, & Dei fauentis illustria beneficia agnoscere, & grata mente extollere, precibusq; ac votis prosequi par est publicè omnes & priuatim singulos.

Quod igitur ex Dei propitij benignitate & misericordia immensa illustriss. celsitati T. nuper IX. Cal. VIII bris, hora III. Mat. natus esset filiulus primogenitus, Dux Christianus, in quo certum est non modo illustrissimæ T. celsitatis & illustrissimorum parentum tuorum amorem, delectationes, gaudia versari, sed & nostrum omnium,

*

& com.

Et communis patriæ, Et posteritatis venturæ nitissimam,
gloriam, fortunas: ego quam in animo meo ex ea nati-
uitate perceperam læticiam, quasq; pro Cels. T. fili-
oli salute et incolumitate preces cotidie ad Deum omnipotē-
tem ardentes facio, publicæ testificationis causa versis
bus conscripsi Et in formam munusculi redege: inter-
texui etiam Illustriss. Cels. T. prosapiam, Et Illustrissimo-
rum Principum maiorum tuorum præclara aliquot facta,
ea præsertim, quæ numeris poëticis: quod ego sciam,
mandata antea non sunt.

Illum meum qualemcunq; laborem Illustrissimæ
cels. T. offero non quod tantorum heroum laudibus Et
immortalitati satisfacere me, aut tuam illustriss. cels.
scriptorum meorum lectione delectari posse sperem:
sed ut gratitudinem DEO, Et Illustriss. celsitati
T. honorem Et venerationem animi debitam declarem.
Oro autem æternum Deum, patrem Domini nostri
Iesu Christi, ut mea vota pro Illustrissimâ Domo Vestra
in hoc scripto facta confirmet omnia: cuius protectioni
Illustriss. cels. Tuam, Et me T. celsitatis clementiæ sum-
missè, Et humiliter commendo. In Monte Cælio, propè
urbem Misnam. prid: cal. Nouemb. Anno. à Christo
seruatore. M. D. LXXVIII.

T. Illustriss. Cels.

Subiectissimus seruus.

Abrahamus Cumerius

Otrancius.

DE ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI, DOMI-
ni CHRISTIANI, Ducis Saxoniae, Landgrauj
Thuringiae, Marchionis Misniae, &c. nato nuper
filio Duce CHRISTIANO, &c.

Gratulatio.



Um noua dona ferens, sperataq; gaudia terris
Saxonicam generosa domum SOPHIA,
inchyta mater

Auxisset, socero AVGVSTO, patriæq; parenti
Felici partu formosum enixa nepotem :
Læticia fremuere vrbes, & subdita latè
Oppida, perq; aras & templa nitentia miti
Vota DEO gratis soluerunt debita linguis,
Et citharæ cantus, animi argumenta sereni,
Quæq; hilarem vulgi faciunt per compita mentem
Argutæ sonuere hæræ, sonuere recurui
Artificum litui, commistaq; buccina cornu,
Nec minus in campis læto se corde tulerunt
Et festos egere dies, circaq; penates
Agricolæ, dulcis perfusi munere Bacchi,
Incontis lusere modis, quos rustica pubes
Pone sequens, manibus retro per inane volutis
Iubila concinuit, repleuitq; aëra plausu.
Quam & pastores, & rura, ac prata voluptas
Illa alacres habuit, clausosq; in ouilibus agnos,

A 2

Et

Et silvas, lucosq; sacros, nemorumq; recessus,
 Fontesq; fluuiosq;, & amantes ardua montes.
 Ipse autem ingentes concepit pectore motus,
 Limite Mysorum veteri quæ terminat agros
 Albis aquis opibusq; potens, & fortibus armis.
 Qui celsa erumpens primum sub rupe Gigantum
 Undenis paruum confirmat fontibus alueum,
 Et socium Muldan assumens agmine facto
 Boiorum pingues percurrit flumine campos,
 Sudetumq; iugis cautè demissus ab altis
 Ambiguo strepitu fines Misneidos amplos
 Intrat, ubi, nigrum postquam suscepit Elistrum,
 Et Myldam Ascanium, & spumantem gurgite Salam
 Saxoso, tandem Chaucorum allabitur oris,
 Donec Gambriuios penetrans, ditatus Hauelo
 Marchidos Oceano concedit iura Boreo
 Expectatus, Saxonidum regnator aquarum.

Nec mora, puniceo pendentia fornice tecta
 Egressus, sparsis passim per littora Nymphis
 Intonuit, signumq; dedit: Mox se obtulit ultro
PYRNA. Cesariem nitidam per collum effusa **PYRENE,**
DRESDA. Et **DRYMO** flavos auro intertexta capillos
 Naiadum **DRYMO** pulcerrima, fluminis alni
MISNA. Deliciae quondam, nunc Regum cura Ducumq;
TORGA. Vitiferumq; caput **MYSALE** præcincla corymbis,
WITEBERGA. Et Dryadum cognata **THOE**, totumq; per orbem
 Cognita cum Musis retinens commercia **LEVCE.**
 Omnes

Omnes Albigenæ, præstantes artibus omnes,
Et doctæ cantare pares & ducere fila.
Venit & hospitio paulum digressa paterno,
Inter Hamadryadas Lipare celeberrima Nymphas, **LIPSIÆ.**
Quam Pleisæ densa tiliarum iunctus in umbra
Limosas voluens Philyræus Elister arenas
Progenuit, ripæ expositam, & ne dura nocerent,
Infanti, aut nudum torrerent frigora corpus,
Inuoluit teneros caprarum pellibus artus,
Vnde suum Diuæ tribuit Germania nomen.
Illas cæruleæ postquam conuexa sub alta
Speluncæ accepit, vitreaq; in sede locauit,
Affatus placidè verbis est talibus Albis.

Ergo, DEÆ, vestras etiam peruenit ad aures
Læticiæ bona fama nouæ, plaususq; recentes?
Audistis Diuæ, audistis, quæ gaudia tandem
Exoriens nuper populis portarit Eous.
O quem nec vasto tellus circumdata ponto,
Aequoraq; allisis resonantia fluctibus, unquam
Laudauere satis, nec moles terreamirè
Supposito fundata salo, tractusue patentes
Aëris, & Cæli semper reuolubilis orbes,
Omnipotens, eterne Pater, Men' ista videre
Secula tam fausta sese tollentia luce?
Qua nati agnoscens prolem, verumq; Nepotem
AVGVSTVS princeps canis exultat in armis,

Iucundisq; ferire iubet clamoribus auras,
Et Domini cunis festas agitare choreas
Subiectos: Da magne Pater solida ista tenere
Gaudia, Da longam vitæ contingere metam
Infantem, nec adire domos prius ætheris alti
Quam rursus sobolem ipse suam de stirpe Parentum
Aspiciat, genus vnde Ducum *AVGVSTI* que pro
pago
Perdurans, mundi tandem fortissima finem
Occupet, & nusquam gente intereunte nepotum
ALBERTO genij succedat sanguinis ordo.
Quid tamen Albiades nos ad tam læta remissi
Tempora proferimus? quæ dona paramus honoris
Infantis Domini? nec enim cunabula fas est
Indotata Ducis relinquare: Scilicet omnis
Editus in lucem patre Principe Regius infans
Fato terrarum felici nascitur, & se
In patriæ patitur nutriri commoda: nîsit,
Terra suos Dominos mutaret, & aggere rupto
Sanguineis torrens inuaderet arua, colonis
Exitium pestemq; ferens: At principe nato
Cui pater est regni qui sceptrâ gubernat auiti
Pax viget, & pacis custos pulcerrima rerum
Iusticia, inq; suis securæ mœnibus vrbes
Exercent opera, & pleno se copia cornu
Diffundit, recreatq; animos, ceu nectare quondam
Cœlesti postquam sata læta boumq; labores

Asper

Aspersit ros aërio de vertice montis:
Ille rigat teneras fecunda vligine plantas,
Et liquidis passim collucent gramina gemmis.
Ergo agite, & Tyrio saturatam murice lanam
Versantes, docta quid possit quæq; Minerva
Seu fuso seu forsitan acu contendite: Nulli
Fraus sua sedulitas: Omni quin arte magistra
Præcipitate moras: aut si iam tela parata est
Quam vestrae fecere manus, huc ocyus illam
Porrigite atq; oculis censendam exponite nostris,
Aut pallam distinctam auro, signisq; rigentem,
Aut, circa thalami quod diâ puerpera frontem
Suspendat velum, letisq; obtutibus illic
Aspiciat pueriq; sui pueriq; parentis
Magnanimos proavos, & Maiorum inchoata facta.

Hæc Albis: quem sic Mycale resecuta loquen-
tem est,
Maxima natarum, fluij si tempora lapsi
Dinumeres æui, si gentis nomen & Urbis:
Rem nulli obscuram, sed perfectæ artis egentem
Præcipis, & Genitor, certè haud ignobilis ocij
Materiam tractare iubes: en nostra laborat
Iam dudum cura, vt gratam testantia mentem
Dona Duci patriæ nato mittamus ouantes.
Dona illi, sed thura Deo: namq; OMNIA NOBIS
PROPITIO tribuente Deo, Ducibusq; benignis
Come

Commoda proueniunt: nos grata mente vicissim
Thura Deo, Ducibus debemus dona benignis.
Sed tu desine plura Pater, sunt munera praesto
Textilia, & vestes ostroq; auroq; decorae,
Vel quales olim neuit Sidonia Dido,
Vel Regem Aenean Heleno comitante marito
Chaonio in regno falsi Simoentis ad undam
Hectoris Andromache puero donauit Iulo.
Sic ait, & nitidum, gremio quod forte gerebat,
Explicuit tela mirandum atq; arte volumen,
Serica cui toto residebant stamine fila,
Serica claudebant subtegmen fila, tenaxq;
Extremas hymbus circumdabat aureus oras:
In medio faciesq; hominum faciesq; locorum
Cernere erat, baccasq; suas, sua cuiq; tributa
Lumina qua proprias poscebant corpora formas.
Caetera pars glauco ridebat tineta colore.
Sicut, ubi, longos cum misit Iuppiter umbres,
Et tempestatum nebulae texere sonantum
Mundi oculum superasq; faces, violentior Eurus
Aerios fumos, duram mortalibus umbram,
Proterit, & solem discussa nube serenat,
Apparet puri facies nitidissima caeli:
Aut qualis, fratri quando se reddidit etiam
Aequoreis Phaebe bigas agit humida in undis
Noctibus hybernis, stellis micat aureus aether,
Orionq; minax, expertesq; equoris vrse,

Et

Et Canis, & Delphin, & cætera sidera mundi
 Cyaneo in campo, rutilantibus undiq; flammis
 Exiliunt: homines decora admirantur Olympi:
 Talis erat panni, Mæcale quem sedula secum
 Attulerat, color, & tali se luce ferebat.
 Illic heroum veterum præsignia gesta
 Qui genus antiquum, & **VVIIICHIND** Istemma
 ta Regis

Euexere, fidem Imperio magnisq; probantes
 Caesaribus, nomenq; suum super astra tulere,
 Pinxerat, atq; artus ipsos, ipsa ora notarat
 Diua Ducum: Viuos artus, viua ora putares.

Primus cæruleo quatebat in æquore currum
 Quadrijugis inuectus equis, cristamq; comantem
 Insignis galeæ niueis gestabat in armis
TETMARI pronepos gladio **THYMO** pulcer
 & hasta.

Illum Pontificium furias & Saxona contra
 Ausa virum magni tutantem Caesaris arma
 Periuræ sensere manus, & Elistrides undæ
 Mutantes faciem tepido incaluere cruore,
 Cum grauis in densos generosi Caesaris hostes
 Irrueret, ferro prosternens obuia latè,
ETBILIONÆO violati fœderis ense
 Supplicium lueret mutilata parte **RODVLPHVS**.
 O qui te casus tunc & tam immania fata

THYMO
 Magnus, Co-
 mes Lands-
 bergi &
VVETINI,
 Marchiam
 Misnensem
 ab **HENRI-**
CO IIII.
 Imp. accepit
 premium
 præstitæ fi-
 delis in bel-
 lo opera.

B

Vrge

Rodolphus Urgebant miseram, alma parens Germania, seruis
Suevia Dux, Vt seruire tuis malle, Dominosq; Lupercos
persuasus à Accipere & ramos Patres, quam libera regna
Pontifice & Seruare, & te mitis heri submittere iussis.
Episcopis Ipse quidem tota connitebatur opum vi
coniuratis, **HENRICVS** Caesar nulli tua prodere iura,
Imperium Sed maiestatem antiquam legesq; tueri
contra Hen- Prædonem aduersus Latium, Tyberinaq; furta,
ricum IIII. Semiuirum prædonem, ausu qui feuda nefando
inuasit: Sed Detrahere Imperio & soli sibi sumere tentans
superatus Mitratos proceres Romani à præsulis omnes
prælio ad Sede legi mandabat, & inuolata manere
Elistrum Hæc scita æternis voluit per tempora bullis,
Mysia, & Certus, nã fieret compos voti, omnia diris
dextera Permiscere tumultibus, infima, summa, profunda,
amissa le- Altaq; magna, potentia, cassaq; viribus, & si
thaliter sau- Flectere non posset superos, Achironta mouere.
ciatus, pæ- Et tunc conantem patrio se more tenere
nas dedit Fulmina in **HENRICVM** torquet sua, nulla mee
violata fidei rentem
& rebellio- Fulmina, sed laudem potius, sed præmia factio.
nis iniusta. Quid non imprudens pietatis opinio mentes
Dextera ei Ignaras hominum cogit, fucataq; cultu
præcisa esse Relligio? Ausony dictis parere tyranni
scribitur à Fas pleriq; piumpq; putant de sanguine nati
GODEFRI- Teutonico heroës, quorum aut pater alluit Albis,
DO BILIO- Aut rapidus tumido terram secat amne Visurgis,
NAEO. Lupiaq;

Lupiaq; & Sueuo cum fratre Arctous Havelus,
 Piscosq; vado & ripis formosus amoenis
 Odera ab Elysijs deuoluens flumina campis.
 Illicet arma fremunt infandumq; vndiq; bellum
 Et Regem HENRICVM deberi in vincula clau
 Exutum regno & diris Latialibus actum (mant
 Ter decies solitis compleuit mensibus annum,
 Ter reuoluta tulit per sidera Cynthia orbem,
 Nec finem insani Martis, nisi funera vidit
 Sæua Ducum, atq; ima stirpem à radice recisam
 Magnorum procerum, ciuilibus præmia belli.
 Interea DEVS, & quorum sententia menti
 Insedit melior, quibus ordo & numina legum,
 Imperijq; decus fuit, & Germania curæ,
 Cæsareas iuuere manus: quos inter amore
 Spectatus firmaq; fide & præstantibus ausis,
 Relictas Cognati arces THYMO, munera lauta
 DEDONIS tulit, & tanto gauisus honore est,
 Marchio pro meritis factus Misneidos oræ.

Filius hunc iuxta CVNRADVS Iapyge
 Letus equo: plaudunt illi depicta iuuentus, (fertur
 Et circumfusæ iuuenum longa agmina matres,
 Pallentes iaciunt violas ac molle ligustrum.
 Ipsa videbatur portis exire relictis,
 Et festas hilari plebs agmine spargere frondes,
 Porrectisq; Patres actutum clauibus vltro

CVNRADVS
 DVSPIVS
 donatam à
 patre Misni-
 am, sed
 quod à Boë-
 mis adhuc
 teneretur
 non posses-
 sam, pleno
 iure

B 2

Sese

iure accepit Sese offerre Duci, & submissa voce precare
& in fidem Succedat teētis, & amica per atria vultu
suam ad egit Accipiat placido ciues dare vota paratos.
auxilijs Lo- Inde manu docta porrò DEa fecerat ipsum
tharij Cesa- Aulai in medio regali splendida luxu
ris affinis Cum thalami socia & caris conuiuia Natis
sui, Ducere : purpureo Genitor residebat in ostro
Et sese auleis coniunx **LEVTIARDA** superbis
Aurea ponebat sponda: tunc ordine pulcro
Liberorum Hinc atq; hinc casti felicia pignora lecti
tredecim Sex culta facie insigni formaq; puellæ,
parens. Et totidem iuuenes præstanti robore Nati
Compositis Cereremq; modis & fusa Lyæo
Pocula libabant gemmis radiantia & auro.
Septimus abfuerat Natorum **HERMANNVS,**
Iam Præsul Pabebergatus fulgebat honore (at ille
Candentis mitræ sacris operatus ad aras.
Sub Cunra- Nec procul hinc idem senio confectus & æuo
do III. Stabat longinquas ostendens indice terras.
Imp in Sy- Quis cum Cesaribus spaciōsa per æquora vectus
riam milita- Intrasset victor Syrijs animosus in oris:
uit, Hic celsis Solymorum arces, hic pulsa Damasci
Mœnia & ingentes Turcorum monstrat acervos,
Præsentibus Sanguineumq; diu Mæandrum, inbumataq; longè
viris ali- Corpora, quod subito terrore inuaderet hostes
quot princi- Cesar, nec caperent tot mœsta cadauera ripe.
pibus & ex Mox etiam ante aras procerum stipante caterua
nobilitate quam
Cernitur

Cernitur exutos humeris suspendere amictus,
Terribilem cristis galeam, & thoracas abenos,
Loricamq; grauem globulis ferroq; rigentem,
Et leues ocreas, & qui fidissimus ensis
Hærebat lateri comes infera bella ruebat
Si quando, & patrijs arcebat finibus hostem:
Sed tunc tarda gelu seclisq; effecta senectus
Suadebat requiem, & pietas relinquare mundum
Iusserat ac placide sese componere morti,
Montis vbi tandem subiisset claustra sereni.

Hinc olea frondente caput præcinctus, amico
Tendebat vultu, & muros circumdabat vrbi,
DIVES OTHO, curans tranquille commoda pacis.
Huic genus, & proavi, generosaq; stemmata Patrum
Nobilitatem, animos virtus dabat, inclyta laudem
Religio, Sudetis opes mons vberere vena
Nec generi deerant, nec gaudia fera nepotes,
Concordesq; animæ fratres: diciq; beatus
Ante obitum poterat, nisi carcere filius illum
Impius, immanis, cæco auri captus amore
ALBERTVS patrum, clausisset, & vltima vitæ
(ODEVS ô pietas) luctu turbasset amaro.

Albertus I. Superbus, in patrem impius.

B 3

At

quam plurimis armæ
equestris
vltro exiit
& in basilica
Mysnensis
suspendit.

Fit canonicus
regularis
in cænobio
Lauterbergiano
quod
suasit VVigemannii
Antistitis
Magdeburgij
sorum
sua filij
paulo ante
dedicauerat.

OTHODIVES
CVNRADI
pij
filius, conditor
Friburgi
& Lipsie
urbium,
Fundator
Cænobij
Viterocellensis
ad Muldam.

THEODO- At frater, Nato melior, **THEODRICVS**
RICVS Consequitur diuerso habitu, nam tela coruscat (euntē
CONradi Fraxineamq; quatit contortis viribus hastam.
filius, OTHo- Illum indignanti similem similemq; minanti
nis Diuitis Aspicias, vbi regali cum veste iacentem
frater, cum Heroa, atq; humili plangentem pectore terram,
Friderico Contra autem sella tumidum tripliciq; corona
Barbarossa Immerito videt ignavis illudere dictis
Imp. milita- Calce fatigantem subiectaq; colla prementem.
tum trans Teutonia in magna regni præfectus habenis
mare abijt **AENE O. BARBVS** erat, Rex seruantissimus æquus
& in Arme- At Romam Ausoniam Capitoliniq; tonantis
niam vsq; Iura sibi, & summi rapiens **ROLANDVS** honorem
penetrauit. Pontificis, titulos mutarat nomine verso
 Dictus **ALEXANDER**: Non ille vt sacra doceret
 Christi adum gentes, lumenq; errantibus esset,
 Sed mundi curabat opes: vanaq; tumentem
 Ambitione gerens animum, nunc crimina Regum
 Fingere, nunc odij causas, & querere bella.
 Ille etiam vnanimes armare in prælia fratres
 Doctus, & infandum verbis accendere Martem
 Legitimos contra Reges, iurataq; Diuis
 Fœdera, cum vellet pacem turbabat, & altas
 Arua per vndanti complebat sanguine fossas.
 Ter monitis impulsa nouis, atq; illius acta
 Consilio, ruptis demens Hetruria vinculis
 Ausa est Cæsareas bello vexare cateruas:
 Ter valido occurrens periuræ milite genti

Cæsar

Cæsaris ignouit placidi clementia victis
Sponte sua: quarto iustas surrexit in iras
Lesa minis virtus, nec iam contraria castris
Castra locat, non ære iubet dare signa, sed ipsum
Vertit in autorem, causamq; facemq; malorum
Funerem, vim belli omnem, duraq; latronem
Obsidione premit Latium quæ maxima Roma
Et septem posite perstant in collibus arces.
Iamq; urbem Germanus habet: iam mœnia fumant,
Et quo quemq; loco virtus aut fata tulere
Teutonico cadit ense, cadunt quæ prælia corde
Atq; atrox Bellona fuit, tum cætera circum
Turba gemit, resonant latè plangoribus aedes.
Ipse sed elapsus media de cæde suorum
Fugerat, & nautam simulans deceperat hostes
ROLANDVS, tutaq; domo Venetumq; receptus
Sedibus, Adriaco reparabat robore bellum.
Nec tamen iccirco generosi pectoris æstus
Ingentes Cæsar, formidatamq; reliquit
Artifici scelerum faciem, nam classe secutus
Adriacum remis FRIDERICVS perculit æquor,
Armataq; manu natum præmisit OTHOHEM,
Multa prius mandans seruet quæ iussi parentis,
Cautius ut seuo vellet se credere Marti,
Nec struere antè aciem, nec res committere pugnae,
Quam Patris propius pelago volitantia signa
Vidisset: sic ille quidem, sic voce rogabat.
At iuuenis nimio laudum succensus amore

Impæ

Impatiensq; animi, quæ primum copia facta est,
 Immemor ab patris, subito, cane classica, dixit,
 Cum eodem Commisitq; viros victusq; hostilibus armis
 Venetias pro Intrauit Venetam captiuus nobilis urbem.
 fectus, cum Tunc Cesar, neq; enim patriam consistere mentem
 Cesarem ad Passus amor, caro soluat quo vincula Nato,
 pontificis pe- Arma iubet cessare, iræq; imponere finem.
 des prouolu- Et victor licet, & causa meliore probatus,
 tum tyran- Totq; lacesitus probris, tam crimine diro
 nicè & con- Tarpeia furia, ad pacis conuersus amorem,
 tumeliose Quam toties victis dederat veniam expetit vltro.
 tractari vi- Sederat Augusto in solio sublime refulgens
 disse, in- Collis Auentini custos, clauesq; tenebat:
 genti & ge- Hunc supplex adiit posito dademate Cesar,
 nerosa ira Stratus humi; Circum Veneti, Regemq; Secuti
 percitus ac- Astabant proceres, Germanorumq; phalanges:
 currit, et Im- At neq; colloquio miserum, nec honore iacentem
 peratorem Dignatur Dominum (tám dira superbia monstro)
 verbis gra- Infamis, crudelis, atrox, Stygis edita ab antris
 uibus mina- Bellua: Dij talem terris auertite pestem.
 cig; gestu & Impia quin etiam iaëtabat verba per auras
 flammanti- Ira ponens colloq; pedem, & sic vocibus orsus:
 bus præira- Assidis in tergo (scriptum est) gradiere, tuamq;
 cundia ocu- Infiges pardis plantam, statuesq; leonum
 lis hortatus Sub te progeniem, catulosq; Libystidos vrsæ.
 palam est, Scabant attoniti proceres, mistoq; fremore
 ne maiesta- Alter in alterius torquebat lumina vultum,
 tem Imperij
 ita conculca-
 ri patere-
 tur: cuius
 vul-

Indigo

Indignam Regis sortem, nimiumq; putantes
 Audaces Thusci insultus: sed dicere mussant.
 Non tulit hanc speciem, furijs sed pectora iustis
 Extimulans THEODRICVS, agensq; per agmina
 Ante Duces, ante ora stetit malè fida tyranni (gressum
 Gradiuo similis, cui, cum quatit ægida, flammis
 Scintillant oculi, totoq; ardentis ab ore
 Vulcanus spirat: Quidq; ô fortissime cæsar,
 Hæc, inquit, pateris, nulli patienda virorum?
 An victor victo submitti, & regia seruis
 Sceptra queunt? Surge & monitus ne sperne tuorum,
 Neu decus Imperij calcandum projice turpi
 Sandalio Saga, pedibusq; fugacibus istis,
 Sic ait & tacita sub relligione timentem,
 Cunctantemq; animo, dextra simul alleuat ipse
 Erectoq; facit se corpore ferre sub auras.
 Obstupuit vocemq; Ducis fremitusq; minaces
 Romanus Pater, & tum demum exterritus, amens,
 Incertusq; sui, cupidè se Cæsaris almi
 Soluit in amplexus, & pacem fædere sanxit.

Ecce autem patruï THEODRICVS nomine
 Et virtute gerens, palla procedit honora (se
 Egregius, vestisq; pedes descendit ad imos.
 Illum multa quidem mens improba Regis auari
 Et fratris duri impietas infanda cœgit,
 Exiliumq; pati: sed tandem redditus hæres

C

Felici

vultum Pa-
 pa non fe-
 rens, & de
 verbis eti-
 am eius per
 interpre-
 tem edoctus
 adeò pauore
 consternatus
 est, ut in cõ-
 plexus & of-
 cula Impe-
 ratoris effu-
 sus non se
 prius aucl-
 li passus
 sit, quam de
 salute sibi
 caueretur.

THEODO-
 RICUS Otho-
 nis Diui-
 tis filius,
 Alberti su-
 perbi fratris
 odia, Heinri-
 ci, VI. Impe-
 ratoris insi-
 dias exper-
 tus.

Felici patriae letos in pace colonos
Iucunda tenuit, iusti servator & equi.

PHILIP- Cumq; nouae rursus turbarent Teutona regna
PVM Imperatorem in- Pontificum furia, totamq; excindere stirpem
uit contra: **AENEOBARBE** tuam ut possent, nuuc livida
factionem. Miscerent aconita, malas & Colchidos herbas, (mensis
Oth. nia- Nunc tristes iacerent consueta tonitrua diras,
nam. Bella quibus quoties libitum pugnasq; ciebant,
Legitimus semper Dominus **THEODRICVS** adhaesit,
Regia magnanimi defendens iura **PHILIPPI**.
Imperium sceptrumq; alij sua gaudia ducant.:
Imperij sublime caput partesq; tueri.
Veneno de Cesareas nouere Duces Misnerdos orae.
vita tolli- Ille tamen populis acceptus & integer annis
tur. Heu propera terras sublatus morte reliquit,
Perfidia medici potans infecta veneno
Pocula, cum viridi vix effloresceret aeuo.

Post hunc campus erat riguis circumfluis vndis.

HENRI- Et campi in medio diffusis frondibus ilex,
CVSIL- Cui folia alternis argento auroq; nitebant,
LVSTRIS Candidus argento cortex, argentea radix,
& **MVNI-** Argentum ramis, argentea brachia ramis,
FICVS, Hanc circum niueis exercebantur in armis
Theodorici Formosa heroum soboles: pars arduus. altis
filius, Prin- Puluerulentus equis iaculum contorquet & hastam,
ceps magna- Pars leues clypeos, & spicula lucida vibrant.
nimitate, Et contra audentem cursuq; icluq; lacesunt.
goria, diui-
tibus potens.

Intrepidi iuuenes: ima tamen arbore crassos
Qua tendit ramos & brachia proxima terræ
Pendebant galeæ cristis auroq; superbae,
Scutaq; , loricaeq; & acutæ cuspidis enses,
Corytiq; leues, cumq; illis lethifer arcus,
Et præfixa suo nodosa hastilia ferro,
Omnia MVNIFIC I fortis monumenta beatæ
HENRICI, quem mirati stupuere priores
Et ventura etiam quondam mirabitur ætas.
Ille Ducum veterum nulli virtute secundus,
Par animo proavis, mansueto corde parenti,
Sed maior fortuna, opibus coniunxit auitis
Tyrigetum populos, titulisq; illustribus auxit
CVNRADI genus & magni decora alta THI
Illi etiam ante alios argento atq; ære scatentes (MONIS
Sudeti montes plena mercede metalla
Appulerant, Disq; ipse suas recluserat aedes.
Non secus ac quondam (si fas conferre peritum
Cum stolido ignauoq;) Phrygum memoratur in aruis
In fuluum conuersa Midas quæ tangeret aurum:
Sic illi quacunq; viam monstrabat arundo,
Qua fossor faciebat iter per viscera terræ
Argentum larga saliebat fossile vena.
Iamq; suo thalamos ALBERTO diuite luxu,
Virginis eximie thalamos Natæq; parabat
Cæsareæ, sacrisq; Duces iam ritè peractis
Surgebant multo perfusi neclare Bacchi,

Primus
Thuringia
Landgravi-
us.

Alberto filio
Margari-
tam Fride-
rici II, Imp.
filiam nup-
tum dedit.

Tunc genti heroum certamen equestribus armis
 Ludos eque- Instituit, seu quis iaculo celerique sagitta
 stes propè Incedat melior, seu viribus vsus & arte
 Northusam Ausit praelongo pugnam committere conto,
 sumtu mag- Præmia certantum ante oculos illa ardua quercus
 nificentissi- Sistitur, argenti moles, & cætera iuxta
 mo instituit Munera, vincenti pariter pariterq; cadenti:
 erecta arbo- Dat victo folium victorem ramus inumbrat
 re a gente, Arboris auricomæ, lætaq; in fronte quiescit.
 partem ar- Nec mora, spes sibi quisq; suas sua gaudia fingit
 genteis par- Exultans animo, & latum procedit in æquor
 tim inauræ- Feruidus, auditur mistus clangore tubarum
 sis folijs, Ingeminans plausum sonitus, ferit æthera clamor
 Et strepitu ingenti circum nemus omne repletur.

ALBERTVS Felix coniugio felix, & prole fuisset
 II. Dege **ALBERTVS** sua, si mores imitatus auitos,
 ner, Henrici Virtute & casta tenuisset commoda vita.
 Munifici si- Sed multis fortuna datur, non omnibus vti
 lius, Land- Fortuna: Heu tædis generose coniugis ille
 grauius Thuringia, Pellicis indignos inconcessosq; Hymen eos
 Spreta con- Præfert, securus famæ, nec pignora iusti
 iuge nobilis- Pulcra thori, nec teste DEO rata fœdera curat,
 sima & duo- Illiciti nimium stimulis agitatus amoris.
 rum præ- Ipsa quidem, vitæ iam dudum incerta, puella
 stantissima- Cesarea exilio statuit vitare furorem
 indolis filio- Insidiasq; Vri, & tacitis se credere claustris.
 rum matre, exar-

Ad

Ad thalamos tamen ante redit notumq; cubile
Sollicita, & caris postrema dat oscula Natis.
Nox erat & placidam carpebant fusa quietem
Corpora per terras dulci lenita sopore,
Et ferriè medio dimensus sidera lapsu
Duxerat inuerso plaustrum temone Bootes
Fidus adest digitoq; senex cautè ostia pulsat,
Bisq; duæ iuxta comites, quarum integra semper
Spectata & dubijs virtus præcognita rebus,
Poscentes Dominam, si carpere nocte silenti
Vellet iter, tutisq; fugam permittere tergis.
Illa nec in somnos dimissa refouerat artus
Imbelles, nec lentam oculis aut pectore noctem
Senserat: attentisq; simul vocem auribus hausit
Exilit, & paulum meditata, Quid? Ibimus ergo?
Ibimus, & Mæni (fatur) loca tuta petemus?
Sic, sic, ire iuuat: scalas apponite muro,
Ferte citi alipedes, date lora, impellite currum.
Quem tamen infelix fugies? quæ tecta relinques?
Illustres generosa thoros regina, mariti
Atria celsa Ducis pingues qui possidet agros
Tyrigetum, paruosq; lares humilemq; subibis
Virginei cellam claustrum, nil conscia mundi,
Sola, gemens, comite ancillanon amplius vna.
Quin secura manes, viuissq; beatius æuum?
Non sinit hoc Princeps alieno captus amore,
Insidiasq; struit, solamq; asperrimus odit

exarsit amo-
re pellicis,
vita coniu-
gis insidias
struxit, &
erga filios
proprius ani-
mum exiit
paternum.

Hanc animam. At forsan meliores induet olim
 Sensus, & placido furias mutabit amore?
 Nulla fides pietasq; viris qui septa pudoris
 Transiliere semel, soliq; sacerrima lecti
 Iura parum violare putant: Sed parua nouerca
 Pignora formosos prodes iniuria fratres?
 Vos ego (maiorum cineres & lucida testor
 Sidera, presentemq; DEVM) vos dulcia solos
 Pectora, tristis, egens, miniumq; inuita relinquo.
 Omih si liceat tam longam attingere vitam,
 Ut matura olim vobis cum venerit ætas
 Vos bello egregios & auorum fortia facta
 Sectantes videam galeam suspendere & arcum:
 Quam tunc leta meam penetrarent gaudia mentem?
 Nunc vos heu teneros matrisq; fidelibus orbos
 Auxilijs, quæ cura feret, quæ fata manebunt
 Patre sub inimiti & rerum custode nouerca?
 Forsitan & pœnas illi per nostra luetis
 Ausugia, & nostro capiti quam debuit iram
 In vos dirus aget. Sed enim ter maxime cæli
 Arbiter, à cuius dependent omnia nutu,
 Quiq; oculis semper mortalia respicis æquis,
 Tu miseros tutare DEVS, patrioq; favore
 Accipe desertos & opis cælestis egentes
 Tu qusq; care socer, melior cui pectore virtus,
 Inchyte Mysorum Princeps THEODRICE, relictos
 Non patière tuos, neu patris mollia corda
 præ-

Asues

Afuescant vitij labemq; aspergine ducant
 Ipse tuam pueros (scio) sanguine motus ad aulam
 Assones, & si verum mens augurat, opto.
 Te duce in antiquam virtutem animosq; viriles
 Exurgant, primis & te mirentur ab annis,
 Sic ait, & lacrymis per maesta fluentibus ora
 Natorum ad lectos (illos sopor altus habebat)
 Inflexit caput, & paruos complexa lacertos
 Amorum, mollesq; genas, nunc oscula figit
TI Z M A N N O, nunc crebra tibi **FR I D E**
R I C E, tenetq;

In vultu vultum, dicitq; nouissima verba
 Utq; dedit caris lacrymas dedit oscula Natis
 Postremo **FR I D E R I C** iterum prope fulcra recumbit
 Cernua, & affectu naturæ concita mira
 Admouet os ori, rursum, rursumq; tenello
 Admouet os ori, cumulanq; miserima labris
 Basia, tandem arctè malam comprehendit & hærens
 Insigni morsu cupide, haud digna dolorum,
 Dente cutem stringit, vulnusq; vt velit amicum
 Hæc, inquit, patris iniusti crudelia serua
 Munera, sed nostri monumentum & pignus amoris.

Et nunc hic **FR I D E R I C V S** is est, quem
 proxima imago.

Ostendit **M O R S U** signatum & vulnere **M A L A**.
 Istius exhaustos infracta mente labores

praterito
 fratre Al-
 berto que
 post ex causa
 fuit belli in-
 ter patrem
 & filios.

FR I D E R I C
C V S A D
M O R S A
G E N A,
 cognomento
F O R T I S.

Inuue

sub THEODO-
 rico patruo
 venceslao
 Boëmiæ R.
 militavit
 contra Re-
 gem Polo-
 niæ.
 A Florenti-
 nis & Me-
 diolanensi-
 bus missa
 ad RODVL-
 phum Imp.
 legatione so-
 lenni ad gu-
 bernatio-
 nem Italia
 repetitus
 vit.
 ALBERTUS
 II, comes
 Prouincialis
 Thuringiæ
 grauitè fe-
 rens in pos-
 sessione My-
 siæ filios su-
 os heredes
 factos, bel-
 lum contra

Innumeros, quis rite canat, quis prælia fando
 Explicet, & duri toties certamina Martis.
 Prima rudimenta & primos exegerat annos
 In castris THEODRICE tuis, dum iusta Boëmi
 Arma iuuas fera Sauromatum contra armatyranni.
 NULLA LATERE DIV virtus & lumina possunt
 Accenso super alta rogo; Tua viuuda certè
 Dextera, & ad belli quid posses strenuus artes
 Siue locum castris scrutari, siue profundas
 Moliri fossas & propugnacula castris,
 Seu totas opus ad pugnam conuertere vires,
 Et conferre manum, atq; hostis turbare cohortes,
 Tunc patuit FRIDERICE, tuas Oenotria tellus
 Virtutes mirata, Ducente læta poposcit
 Ausomàsq; tibi voluit submittere gentes.
 Non ita se Genitor, natis nam sede potitis
 Mÿsorum patru felices inuidet arces,
 Atq; nihil meritis dirum mouet vndiq; bellum,
 Inde doli cædesq; hominum cædesq; secutæ
 Semideûm procerum: testis Sprea, testis & Albis
 Quot nati cecidere Ducum, quàm multa sub vndas
 Scuta virum galeasq; & fortia corpora voluit
 Sanguineis infectus aquis, dum Marchidos oræ
 Hinc dominas, inde Ascania Dux gente profectus
 Complectis campos florentibus ære cateruis.
 Vos quoq; venistis Romani splendida Reges

Nomina Sueuorum turmis confisus **ADOLPHE**,
 Tuq; prius cæso Imperij qui sceptrā tenebat,
 Pannonijs inuectus equis **ALBERTE**, parenti
 Iniusto, dubium, vos auxiliariis armis
 Præstantes, an pinguis agri prædiuite gleba
 Forté, metalliferæ ductiue cupidine terræ:
 Sed quæcumq; fuit, vecors fuit illa, nec ipsis
 Causa tulit laudem vobis, nec gaudia nostris.
 Nec requiestis enim donec **NASSENSE** ministro
 Solennes ferro cecidit **TIZMANNVS** Sad aras,
 Et populis vrbes vacuæ, cultoribus agri,
 Principe terra suo (facies tristissima rerum)
 Luxerunt gemitu nequicquam fata sequente.
 At non omnipotens tam seuo turbine ferri
 Vterius, iugiq; malorum mole grauari
 Inmeriti passus sortem Ducis, omnia tandem
 Rettulit in melius: suntis nam viribus hostes
 Aggreditur **FRIDERICVS**, vt olim montibus
 Delapsus torrens vndis pluuiialibus auctus
 Per campos per prata ruit, secum obuia quæq;
 Arripiens, & nunc ingenti tecta fragore
 Nunc validas quercus & saxa rotantia torquet:
 Aut veluti siccas Zephyrus cum inuadit arenas
 Instabilis patulum differtur in aëra puluis,
 Et sua per gyros ducunt ludibria venti:
 Sic hostes **FRIDERICVS** agit, sic feruidus instat
 D Hac se.

eos mouet
 accitis in so-
 cietatem
 Alberto
 Marchione
 Branden-
 burgensi,
 Eberhardo
 principe An-
 haldino,
 Adolpho et Al-
 berto Ro-
 manis Impp.

**TIZMAM-
 NVS FRI-
 DERICI**
 Fr. Lipsiæ
 in templo
 fraude vul-
 neratus,
 cum noctur-
 nis sacris
 feriarum
 Natalicia-
 rum inter-
 esset. Siccā-
 rius sum-
 missus à
 Philippo
 Nassauien

Hac atq; hac gladio, seq; ad diuortia cuncta
Obycit, & pœnas inimica ex gente reposcit.
Quam facile est fautore Deo sua damna minasq;
Vlcisci turbæ successu cædis ouantis?
Nil fuerat Sueuo crudelius, oppida postquam
Mysorum vi, fraude, dolo peruaserat: at iam
Victores victi capiunt, fit fabula vulgo,
Et probris teritur **LVCANA CLADE**
SVEVVS.

Hinc alios quicumq; ausi Dalemincia rura
Aut ferro quondam temerare, aut debita colla
Detrectare iugo, felicibus obruit armis,
Et spolijs sese prædaq; opulentus opima
Composuit placide, letaq; in pace quieuit.
DISCITE IVSTICIAM, nec vos aut puro
pura Reges.

Decipiat, lateq; patens in regna potestas,
Aut afflictâ trahens dubio fortuna tumultu
Res inopum iubeat pedibus calcare superbis:
CERNIT QVITPE DEVS MORTALIA,
vndicæ dextra

Vlturus malefacta hominum, longaq; repensat
Pœnarum grauitate moras: At iusta tenaxq;
Quamuis sepe graui nutat sub pondere virtus,
Et varijs agitur ventorum obnoxia flabris,
Emergit tamen, & **TANDEM BONA CAUSA**
SA TRIVMPHAT.

Filius

Filius ut patri generosus nominis hæres,
 Accepit **FORI** terras à patre relictas,
 Nec pietate fuit nec belli laude parente
 Inferior, morum censor **GRAVIS**, hostibus ingens
 Terrarum tremor: at mansuetus cætera Princeps.
 Sensit atrox Gallus, glauci sensere Britanni
 Quàm non segnis erat, quàm nullis territus armis
 Ibat in aduersos violento robore Francos:
 Senserunt Domino se stulto opponere nisu
 Duringi comites ausi, cuneiq; latronum
 Perfidiã celsæ tutantes mœnibus arcis.
 Ergo admirati belliq; togæq; labores
 Constantes, veræq; animum nil laudis egentem
 Imperij proceres, communi voce salutant
 Hunc Regem, solumq; putant qui Teutona fortis
 Gestet sceptrum manu, rebusq; labantibus assit.
 Et iam, portantes sceptrum regniq; coronam,
 Legati mandata **DVCVM** leto ore ferebant:
 Aspice quam miti promittunt omnia vultu
 Supplicibusq; rogant votis vrgentq; rogando,
 Succedat solio, Romanaq; regna capeffat:
 Ille sed auersa detorquens lumina fronte
 Inuidiosa fugit iamdudum insignia, nec tam
 Composito sermone magis precibusq; mouetur
 Quàm si dura silex aut stet Marpesia cautes.
 Macte animo excelso Diuisq; simillime Princeps:

FRIDERI-
CVS II.
GRAVIS.

EDVARD-
DVM VI.
 Regem An-
 glia con-
 tra Gallos
 iuuit.

Imperium
 Solenniter
 oblatum
 magno ani-
 mo recusa-
 uit

D 2

Hoc

Fridericus III. Strenuus. Hoc adeo pulcrum est, magnos contemnere honores,
Pulcrius, ingentes quam ferro acquirere terras.

Erphordensis Nominis eiusdem pingues **FRIDERICVS**
sepius rebelles castis gavit, gravissime iniurias vindicaturus nisi Caroli III. Imp. interuenisset auctoritas. Fertur, & infidam toties totiesq; rebellem (in agros **STRENNVS** (ultus auos) tormentis concutit Tyrigetum, flauus qua flumine stagnat Hieras. (urbem Heu quantum exitium miseris & dira manebant Fata domos (at tu pactis Erfurdia stares) Si non aratas acies fossamq; tremendam Ingressus Caesar medium se **CAROLVS** armis. Misisset, iustam demulcens Principis iram.

Fridericus Bellicosus. Elector Saxoniae. Cum Cunrado ordinis Teutonici Magistro pro nominis Christi propagatione militat in Borussia. Cum VII. HELMO patruo Pragam obsidet in Boemia. **QUARTVS** ab **ADMORSO** titulis **FRIDERICVS** auorum
Ensiferum decus adiungens & iura creandi
Caesaris, en gladium dextra tenet, inchytus armis
BELLATIOR, statuensq; altum de more trophaeum
Tertia suspendit gneri monumenta **THYMONIS**.
Pone puer gelidos penetravit adusq; Borussos,
Militiam & graue Martis opus tua castra secutus
CUNRADE, vt falsa s. b religione tenentes
Se populos, lucosq; Dys & fana sacrantes
Futilibus vanos Diuum dediscere cultus
Cogeret, & sacra Christiadam meliora piosq;
Quo scelus eluerent antiquum, assanere ritus.
Pone puer Boios patrii victricia signa
Terruit anteuolans, regemq; tremisare vidit

Ardua!

Ardua turrigera dum cingit mœnia Praga:
At postquam firmata virum iam fecerat ætas
Fulmen erat tonitruq̃, adeo per densa ruebat
Agmina terribilis, prosternens omnia latè
Nescius ante manu lassatum ponere Martem
Quàm sese hostili statuisset in aggere victor.
Mec minus ad pacis perspectus idoneus artes,
Cum terra fugerent animo trepidante Boëma
Quæsitum sedesq̃, nouas & commoda Musæ
Hospitia, ipse humiles, dubioq̃, errore vagantes:
Accepit placidè, & tutas considerare iussit
Ad ripas Phihyræe tuas, vbi leta iuuentus
Aonias docta venerans cum Pallade Diuis
Nunc agit, & cultis Sophiæ spaciatur in hortis.
Gloria Principibus magna est defendere bella:
Magna etiam patrijs tutari legibus vrbes
Iusticia prohibente nefas: Sed gloria maior
Luctantes sæua cum tempestate Camænas
Respicere, & tristem studijs arcere ruinam
Ingenuisq̃ choros iuuenum perducere ad artes.
Vnde suis castis honor & reuerentia templis
Permaneant, sintq̃ ore pio qui semina Verbi
Cælestis spargant, & Christo digna loquantur.
Barbaricq̃, procul pulsa sapientia regnet
Oppida per Regumq̃, domos, viuatq̃, perennis
Æana Ducum, reddantq̃, vices & præmia Musæ.

Fundator
Academia:
Lipsensis.

D 3.

Nunc.



Nunc dolor & mæsto sequitur perterrita luctu
 Infelix Mater, Natos dum flebile plorat
 Prædonum abductos manibus: Sua pectora palmis
 En tundit generosa, & mollia brachia torquet,
 Unguibus en fædat faciem, soluitq; capillos.
 Quis tibi tam dirum confidentissime mango
 Persuasit facinus, tanta aut furor egit in ausa?
 Vrbs antiqua iacet, Pleisæ contermina ripis,
 Austrasiæ veteris quondam caput, inclyta sedes
 Semideum procerum, postquam Misneius heros
 Sera tulit longi tandem solatia belli,
 Duraq; Lusatiæ pensavit damna Minoris.
 Illic fata suæ percensens plurima vitæ
 Laudata **FRIDERICVS** humo, patruiq; patrisq;
 Ad tumulum curas animi lenibat amaras
 Ingenio & vultu **PLACIDVS**, nisi bella vetabant.
NON VOTI EST FATIQVE eadem
 sententia, fratri
 Frater namq; mouet bellum crudele **WILHELMUS**
 Pacifico, seuitq; animis: tum cætera deinde
 Turba furit: Sed mox iniustæ pænitet iræ
 Deuictum sermone pio plenoq; fauoris.
 Pacem igitur, stabilem pacem, per mutua querit
 Alloquia, & campis vltro progressus apertis
 Vtraq; inspectante acie complexibus hæret

Aldenburga Osterlandiæ vrbs primaria.
Fridericus II. Elector, cognomento Placidus.
Cum Fratre Wilhelmo III. bellum gerit iniustus.
Wilhelmus voce quadam Friderici ad sedelata, plena fidelitatis et benevolentia, fratrem de pace conuenit.

Fra

Fraternalis: mox & totis se iubila castris
 Effundunt, letisq; sonat clamoribus aër.
 Nondum pace tamen positisque remissior armis
 CAV fungus cessatue do'is, versatue quietem.
 Illi olim pugna deiecto, & vincula collo
 Gestanti captiva, avido quod solueret hosti
 Non dederat Princeps, penitusq; negauerat aurum.
 Ergo odijs frendens, prauaq; cupidine turpi
 Vindictæ, per Diuorum delubra, per aras,
 Per caput ipse suum solitus iurare, timendum
 Perq; DEI, haud impune vlli utolabile nomen,
 Principis vlturum in proprio se corpore damna.
 Credita res paucis, & tantum ignaua minarum
 Visa diu facies: Sed enim sese improba tandem
 Exeruit, scelerumq; fidem vesania fecit.
 Festo fortè die Philijres Fridericus ad urbem
 Venerat, huc illum patrie pia cura vocabat:
 At thalami consortem & pignora dulcia lecti,
 Illustres animas, Veteri super Arce relinquens
 Quamprimum ad caros reditum celerabat Amores.
 Hoc vbi Tartareis Alecto infecta venenis
 Præsensit, subito Stygys se suscitât alis
 CAVfungi in mentem, cupidumq; & sponte paratum
 Admonet, ut facinus magnum, quod tarda loquatur percutitur:

Poster reliqui duo
 Erne-

Ernestum ipsi reducunt & veniam
 impetrant.

Cunradus
 CAVfungus,
 Wilhelmus
 Mossenus, &
 Wilhelmus
 Schonfelsius
 plagiarij
 Ernestum
 & Albertum
 principes
 Friderici II,
 Electoris fi-
 lios ex arce
 Aldenbur-
 gia rapiunt
 die solstitia-
 li æstiuo.
 CAVfungus
 in solis locis
 cum Alber-
 so deprahen-
 sus & addu-
 ctus Friber-
 gam gladio

Posteritas, socijs & sumtis audeat armis
Dum tempus, dum fata sinant, & prouida pulcrè
Absit cura Patris, nec seruet limina custos
Debita, somnifero plenè madefactus Iaccho.
Ille animi fidens, & iam furialibus actus
Eumenidum stimulis, sub lenta crepuscula sese
Ante urbem portasq; locat, quem fœdera iuxta
Impia pangentes pergunt Schonfelnius acer,
Et Mossenus equum domitor, tacitisq; fauentes
Auribus expectant cœlo dum Virginis astrum
Decedat, rutilos condatq; sub æquore vultus.
Iamq; ferè medios nox egerat humida cursus,
Fessaq; per terras animalia cuncta soporem
Spirabant, cum prima quies mortalibus ægris
Artus alta tenet, Diuum gratissima dono.
Tunc etiam casu (nec res ea tecta latebat
Prædones) vigilum passim diffusa iacebant
Corpora, ut efflarent Bacchum quem larga dederunt
Illo poela diè & structis conuiuia mensis.
Qualia sepe solent Domini quando ædibus absunt
Liberiore domi Genio celebrare ministri.
Tum vero tentant aditus qua proxima rupem
Contingunt latera, ascensuq; facillima surgunt,
Inuentaq; via scalis prærupta locorum
Exuperant, gradibusq; abeunt, muroq; potiti

Ine

Inuadunt arcem somno vinoq; sepultam.
Tectum augustum, ingens, pictis sublime columnis
Arce fuit media, geminos ubi somnus habebat
Regali in thalamo, FRIDERICO Principe natos,
Speclata pueros forma, quis lactea cervix,
Lactea frons, roseaq; genæ, flauiq; capilli.
Qualis Acidaliæ Matri perhibetur Adonis
Purpurea placuisse coma, Vel qualia paruis
Corpora Cælitibus multo stellantibus auro
Artifices addunt niueo saturata colore.
Huc se prona tulit latronum audacia, & ipsos
Arripuit pueros, nequicquam voce vocantes
Sæpe patrem, nec adhuc titubantia lumina somno
Planè attollentes; illi velut hostibus olim
Ereptam inter se prædam duo corpora fratrum
Partiti, paribus rellinquant atria palmis:
ERNESTVM Mossenus habet, spolijs altera cessit
CAVfungo pars ALBERTVS: nec multa morati
Diuersis fugere vijs, vt noctis in umbra
Sublustri ad dumis densas atq; ilice siluas
Alipedum tuti tergo veberentur equorum
Et iam emersa mari pulsisaq; aurora tenebris
Reddiderat mundo lucem, cum in limine Mater
More suo visura astat carissima Natos
Pignora, nec thalamis illos nec iam inuenit vsquam:
Mox animum percussa metu trepidoq; pauore,
Me miseram, exclamat, quis vos mihi casus ademit?

E

Et

Et laniata comis eunctis penetralibus errat
Interius, querulisq; replet clamoribus aedes,
Quam circum famulae gemitu pavidog; tumultu
Omnia permiscunt & foemineo vlulatu.
Interea spacia emensus praelonga viarum
In Viridi Luco carpenda ad papula fessum
Dimittebat equum CAU fungus, Vbi obuius illi
Improuisus adest senibus quidam obsitus annis,
Fusca viro facies, fuscis armi, lumina fusca,
Vestis erat pannosa, illis qui plurima lustris
Stipite findebat succiso, atq; aggere ligna
Instar pyramidum aut gaudentis acumine coni
Arida componens, subiecto gnauiter igne
Nigrentes patria carbones arte coquebat,
Huic, solitas addens verbis non mollibus iras,
Cornipedum mandabat equum puerumq; teneret
Incolumem, donec nemorum spaciatus in vmbria
Aut radicum herbas secum aut siluestria poma
Afferret stomacho solatia parua gementi.
Quis curae neget esse DEO Regumq; salutem
Imperijq; Duces? Vaccinia nigra legebat
Ille, dolo exultans, & humi nascentia fraga:
At puer illustris casum fratrisq; suumq;
Custodi enumerat, tacitasq; ita fatur ad aures:
Quisquis es, haud equidem (credo) sine numine Diuina
Venisti, & lucis habitas lignator opacis:
Me si fata meis paterentur ducere vitam.

Ausonia

Auspicijs, celsa ingrederer sublimis in aula
Saxonici soboles Ducis inchyta: nunc mihi dirus
Fortunam eripuit prædo, furatus ab alta
Me specula Patri ignaro & nil tale putanti.
Si potes, aut istis quicquam confidis in armis,
Eripe me his miserate malis, & redde parenti
Fide senex: nec te officio certasse priorem
Pœniteat: quin pro factò te præmia tali
Magna manent: primum ipse meus pulcerrima soluet
Munificis Genitor donis: ego cætera deinde
Ampla dabo, meriti tanti non inmemor vnquam.
Sic memorat, vocemq; premit: simul ipse reuersus
Asper adest, strepituq; pedum CAVfungus oberrat.
Iamq; propinquabat sellæ, frenumq; tenebat
Bellatoris equi, in Puerò cum lumina voluens
Rusticus, immotis oculis spectabat, & ora
Nunc mirabatur, nunc ore cadentia verba.
Parua mora est, manibus secum quam forte gerebat
Nodosam toto connixus corpore clauam
Elevat, & tergum prædonis terq; quaterq;
Aggreditur, geminatq; ictus caua tempora circum,
Clamoremq; altè tollit, quo concita siluis
Turba operosalatens, lignisq; intenta secandis
Accurrit: Capitur prædo calcaribus hærens
Implicitus, dignaq; luit mercede laborem
Impia carnificis submitbens colla securi,

ALBERTVSq; puer plausu comitatus onante
 Ducitur, & festa velantur fronde per vrbes
 Atria, latificisq; sonant clangoribus arua:
 Cara sed imprimis cumulat sua gaudia Mater,
 Grataq; pro Natis suspendit dona receptis.

ALBER-
 TVS III.
 cognomento
 Animosus,
 Rolandus,
 & Dextera
 Imperij Ma-
 nus.

MATTHI-
 AM, R. Vn-
 garie ex
 Austria de-
 pulit.

Contra Gal-
 los, Belgas,
 Phrysios pro
 maiestate
 Imperij for-
 tissimè pug-
 nauit.

Hic ALBERTVS erat, manibus date
 lilia plenis,

Quem grauia afflicto pro Cesare bella gerentem
 Mirati stupuere Hunni, Rex ipse relictis
 Obstupuit CORVINUS agris, solumq; vocari
 MAGNANIMVM meritis & forti pectore
 Ille etiam Gallis terror gentiq; rebelli

Belgarum, inuicta nomen virtute ROLANDI
 Promeruit, sternens Phrysios Flandrosq; superbos:
 DEXTERAQ; Imperij dictus MANVS, im-
 piger armis

Quod rem Germanam magno turbante tumultu
 Sisteret, & plitida ciues in pace teneret
 Felix o nimium felix Germania tali
 Principe: id date thura Duces, date manibus aram.
 At si fortè malo terrarum sidere quondam
 Prædonum manibus primis periisset in annis,
 Heu quanto decore & quantis orbata fuisses
 Præsidij? Salue æternum fortissime Princeps
 Aeternumq; vale: Nos hæc tibi vota merenti
 Solimus, at nulla tua laus reticebitur æuo.

Ex=

Extremo nunc orbe subit, manibusq; repellens
 Aurum ingens, oculis Henricus fertur amænis,
 Alberto Genitore satius: Non ardua virtus
 illi, non duris exercita defuit armis
 Vis animi: Pietate tamen veraq; reliquit
 Post se religionem patres, felicior illis
 Quod Latij detecta lupi furta improba vidit,
 Agnouitq; DEI Verbum, sinceraq; sacra
 Mente pia firmaq; fide complexus amavit,
 Et documenta dedit, quanti Romana putaret
 Numina & in breuibus conscripta indulta tabellis,
 Quæ simul ad fundum cecidit crepitanteq; peluim
 Percussit sonitu nummus, supera alta beatam
 Aspirare animam & cælum contingere iurant.
 Manibus ille tuis populo gratissimus omni
 Friberga exiguo placide contentus agebat:
 Sed frater terras lautasq; Georgius Vrbes
 Sub ditone tenens, vt regni sceptrum paterni
 Sic fidei errorem antiquum cultusq; sacrorum
 Ausonios veteri cupidus seruabat honore.
 Huic soboles misero fuerat quæcumq; virilis
 Occiderat fato, viridiq; extincta iuuenta
 Ante patrem canos mærenti afflixerat annos,
 Henrico tantas meliori numine sedes
 Rellinquens, si sacra tamen Romana probare
 Vellet, & Italiae rursum se credere scitis.
 Iamq; oratores aderant & iura ferebant
 Talibus exorsi verbis: Myse inclyte gentis

HENRI
 CVS II,
 PIVS.

Religionis
 repurgata
 amator &
 defensor.

GEORGI
 Fratris Le-
 gatis amplif-

Dux, suis propo-

*sicis premijs
suadentibus
ut deserta
Religione
Euangelica
ad Pontifici-
am reuertatur
festinè
cordatèq; re-
spondet.*

Dux, genus egregium Alberti & certissima proles,
 Funere Natorum fatigq; Georgius actus
 Tristibus, ut curis animum colliserit atris
 Vidisti, & fratris miseratus saepe dolorem es:
 Nunc ille extremis defectus viribus aeger
 Vix animam trahit, & media iam in morte natantes
 Attollens oculos tua nos ad limina misit:
 Terram omnem, cultasq; vrbes gazamq; potentem
 Dat tibi, & in tota quicquid regione fouebat:
 Hoc autem iubet, ut ritus, inuentaq; nuper
 Leucorea in cathedra, seclòq; ignota priori
 Dogmata deuotans, in religione parentum
 Permaneas, Latijq; patris sub iura reuersus
 Pristina missificæ permittas orgia turbae.
 Tu fratris succede bonis non degener haeres
 Et pulcris pare monitis: Sunt pondera facti
 Infectiq; auri, sunt illi mille talenta
 Argentiq; arisq;: Tuam ne despice sortem.
 Haec, unoq; simul cuncti ore fremebant.
 Illis subridens extemplo ita reddidit heros:
 Quae vox ista viri vestro nunc excidit ore
 Persimilis Satanae est, qui cum de montibus altis
 Immensas monstrasset opes, regna omnia mundi,
 Uniginae Patris Nato, qui sidera torquet,
 Haec, inquit, tibi cuncta dabo, si poplite flexo
 Procumbens precibus nostrum venerabere numen:
 Quae vobis, quae tanta Viri dementia surgit?

Meu

Men' istas pereuntis opes & friuola mundi
 Gaudia caelesti stultum praeponere Verbo?
 Me nummis pietatem aureis, animaeq; salutem
 Delicijs mutare vllis? Nec munera sperno
 Quae tribuente DEO debentur & ordine fati.
 Ante tamen, quam me pietatis prodere cultum
 Agnitae ex animo dimittere dogmata Verbi
 Aetherei Sol hic videat, vel terra dehiscat
 Ima mihi, vel quae aurig; argentiq; talenta
 Dicitis, vno eodemq; igni consumta liquecant.
 Hoc potius reor: Haec fratri mandata referte.

Talia maiorum Mycale praesignia gesta
 Pinxerat & molli telas discreuerat auro,
 Quae postquam aspexit propius Pater Albis, In illis
 Cur, inquit, mea Nata autem nec nomina cerno
 MAURICII, nec facta Ducis? qui Marte togaq;
 Quippe fuit fortis, ne cuiquam laude secundus.
 Tunc MYCALE: Ne me Genitor nescire putaris
 Mauricij decus eximium, Sed maxima, sed quis
 Argumenta, graues turmas, partosq; triumphos,
 Pannoniasq; truces, Mahometigenumq; tyrannos,
 Et quanta est toto bellax Germania tractu,
 Caesareasq; aquilas, deiectosq; Alpibus hostes,
 Gallorumq; fugas, & quae non vox capit, ipso
 Nomina magna sono, quis paruae intexere tela
 Ausit, & ingenio tantas committere laudes

Mauritius
 Henrici II.
 filius Ele-
 ctor.
 Bellis Vnga-
 ricis, Gallicis
 Germanici
 Dux fortis-
 simus.
 Vno eodemq;
 anno duobus
 potentissi-
 mis Asia atq;
 Europa Mo-
 narchis, Ca-
 rolo V, Roma-
 norum, &
 Solymanno
 Turci co Imp.
 Mens terrori fuit.

Mens

Mens etiam meminisse horret, luctuq; nouantur
Vulnera cum subit illis tristissima cladis
Infelixq; dies, quando Peinensibus aruis
Pro patria roseum fudit fortemq; cruorem.
Heu virtus, heu dulce decus, laudataq; bello
Dextera: Non illi quisquam se impune minorum
Præferet arma gerens: Manet, æternumq; manebit
Fama Ducis, nec tanta aliquando obliuia rerum
Mentibus accedent hominum: prius ipse solutus
Coruet in nihilum magnus compagibus orbis
MAVRICIJ nomen quam postera nesciat ætas.

Finierat, positisq; ad frontem cornibus Albis
Ibat ut AVGVSTI perferret ad atria dona.

Interea DRIMO reliquas affata puellas,
Nos quoq; minus ait, læto debemus amore:
Munus ut infanti Domino properemus honorum,
Testemurq; animi gratantia gaudia, mecum
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mouent Superos, votis placatur Olympus,
Vota homini castæq; preces fortissima turris
Seu grauis exurgens tempestatum ingruit imber,
Et pavidas tangit mentes asperrima læsi
Dextra DEL, seu læta bonis successibus aras
Explicat, & niueo tendens fortuna volatu
Spem fouet, & tristi soluit formidine terras

Dicite

Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Dicite : Summe D Eum, cui sunt mortalia cur.
Qui populis donasq; Duces. stabiliq; salute
Firmas fata Ducum, paruisq; & egentibus addis
Aligeros pueris cætus, gentem ætheris alti,
Quorum membra manu tutò gestata pusilla
Nec metuant pedis offensi damna vlla, nec hostis
Tartarei fædo afflatu penetrabile virus
Ore exhalantis fraudem experientur amaram:
Summe Deum, pulcrum Augusto defende Nepotem,
Et vita dignum ac sero venientibus annis,
Seruantemq; Patris Christi de nomine nomen
Angelici tutare chori munimine: Tuq;
Arma parens tellus, & tu circumfluus aër,
Vrentes prohibete minas, & noxia membris
Flamina, ne qua Duci noceat grauis aura tenello,
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota meæ castasq; preces iterate Sorores.
Ipsa, bonas sano retinet quæ in corpore vires,
Funestosq; abigit morbos Hygiea, salubres
Exquirens herbas, custos fidissima cunis
Assideat, semperq; nouo se germine florum
Exhilarans reparet pulso languore vigorem,
Aut dulcis succo Ambrosiæ, nardoq; beata,
Aut rutæ folijs, & odorifera Panacea.

F

Dicite

Dicite, iò castasq; preces & vota Sorores.
Vota meae castasq; preces iterate Sorores.
Vt flos in culto speciosus nascitur horto,
Sedula quem liquidis enutrit Hamadrijas undis,
Aut olitor curas adhibens & debita plantæ
Munia, nunc puro findit discrimine sulcos,
Nunc tenues irrorat aquas, ferroq; bicorni
Pectit humum gnarus, sterilesq; exterminat herbas,
Incumbitq; operi placito, gaudetq; labore,
Cetera permittens Diuis Soliq; tepenti:
Ille nec arrosus pecori, nec læsus aratro
Puberibus caulem folijs & flore comantem
Extendit, mollesq; sinus diffusus inumbrat,
Aspectuq; homines delectat, odore colonum:
Sic Matri iucunda Puer, sic gaudia dulci
Transmittens Auia, vegeto se corpore lætus
Proferat, à teneris sic germinet aureus annis.
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota meae castasq; preces iterate Sorores.
Qualis ad herbosas undarum consita ripas
Assurgit platanusue ingens, aut ardua quercus,
Quam neq; ventorum violento turbine flabra
Conuellunt, nec tristis hyems, sed mole sua stat
Immota, & fortes ramos ac brachia latè
Extendens patulam præbet venientibus umbram:

Est

Subter eam vario florum vestita colore
Pulcra renidet humus circumflagentibus herbis
Vndiq; Pæonys, at ramis arboris altæ
Nidificant volucres, & docto gutture carmen
Expediunt, mulcentq; vagis concentibus auras:
Talis & in patriæ succrescat commoda quondam
Illustris Puer, & tali se vertice tollat
Supra homines supraq; feras, nil robora curet
Nil fremitus æstusq; virum continere contra
Si qui forte volent, Superi sed fretus amore
Regis inoffensæ perducatur tempora vitæ,
Cuius indulgens umbram, nidusq; canoris
Alitibus Musisq; sacris, inde optima tellus
Culta suos flores calathisq; virentia canis
Lilia, purpureasq; rosas, suauesq; hyacinthos
Fundat, & Assyrium vulgo nascatur amomum.
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota meæ castasq; preces iterate Sorores.
Et nunc incipe parue puer cognoscere risu
Affectus Matris teneros, Auiæq; fauenti
Sidereis blandire oculis: nunc ista: sed olim
Heroum laudes & auorum clara tuorum
Nomina cum poteris scire, & quid viuuda Virtus
Rebus in humanis valeat, vestigia tanta
Obserua atq; animum famæ compone futuræ.

F 2

Præo

Præcipuè tamen ante oculos exempla tuorum
Cotidiana videns, virtutum Patris Auiq;
Esto memor, seruaq; tenax imitator honorem.
Utq; Auis Augusti mensuram nominis implet,
Et Pater à Christi quod traxit nomine nomen
Comprobat, accensum diuino pectus amore
Usq; gerens: sic care puer te finge, piaq;
Illorum, ut vultum, virtutes exprime cura,
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota meæ castasq; preces iterate Sorores.
Interea det fata DEVS tibi mollia fata
Formosi Genitor Pueri, tua floreat ætas
Integra & augetur inuuenili in corpore vires
Ut quoties patriæue labor carine parentis
Exposcit pietas, socium te adiungere regno
Intrepitus possis, & fulgeat æmula virtus.
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota meæ castasq; preces iterate Sorores.
Fortunate, tibi sese ventura reseruant
Secula, & incipiunt læti procedere Soles
Prole noua, pluresq; adeo tibi Numina spondent
Fæcundi fætus thalami, quos candida spectet
Posteritas rerum Dominos terræq; potentes.
Salue flos generose Ducum, salue in chyte Princeps
Edite Regibus, & Reges geniture Ducesq;
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

vota

Vota meae castasq; preces iterate Sorores
Tu quoq; fortunate, Dijsq; accepte benignis
Imperij tutela ingens Auguste, decusq;
Teutoniae procerum: Quam te natiuus & alto
Corde ruens, praetentat amor, cum parua Nepotis
Membra manu prendens, oculos roseo iniycis ori,
Agnoscisq; tuam sobolem, gaudesq; tuendo,
Sic equidem voluebam animo, votisq; precabar
Susspirans tacite, nec me sperata fefellit
Sors rerum, aut Euri gemitus rapuere Notiꝫ
Dicite io castasq; preces & vota Sorores

Vota meae castasq; preces iterate Sorores.
Ecce tibi mecum populi gratantur, & vrbes,
Ecce amnes, lymphæq; & rauca voce susurrant
Littora, leticiamq; suo testantur honore
Plus solito aureolis curuantes brachia pomis
Arborea frondes, & consita iugera Baccho
Lenæum largamittentes vite liquorem.
Ipse etiam, quamuis autumno cesserit æstas,
Frigoris oblitus Zephyris spirantibus aer
Lenis adhuc tepet, & mites superingerit auras
Vtilis humanis conatibus, vtilis agris.
Dicite io castasq; preces & vota Sorores.

Vota meae castasq; preces iterate Sorores,
Gaude heros dilecte DEO, nunc munere Diuim

F 3

Et

Et Nati felix pietate & amore Nepotis,
Gaude iterum, & quanquam magni tibi regia cæli
Dudum lata patet, terris tamen optime, terris
Viue, diu teq; auxilio ne subtrahere nostro.
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota meæ castasq; preces iterate Sorores.
Te Duce nec sæuos metuunt armenta leones,
Nec rabidos pauida agna lupos: tu regna Ducesq;
Concilias, pacemq; ferens cum legibus Orbi
Imperio ciues latrones ense coërces.
Per te stant firmata fide, seq; oppida recto
Iure tenent, partisq; opibus secura fruuntur
Astræa comitante: Tuo sub tegmine tuto
Rusticus arua colens terram proscindit aratro,
Spemq; anni Cererem longis componit aceruis,
Et fetas emulget oues, passimq; per agros
Ambulat & media transit de nocte viator.
At pietas, & vera, vna qua sidera adimus,
Religio per te plenis dominatur habenis,
Liberamq; exultans nec fraudum Dædala texta,
Aut furis Caci furias, infidaue sacra
Allobrogum admittit: Tu curas maxime Princeps
Ut tristes cessent rixæ, & sincera docentum
Cincta olea viridante comas Concordia regnet.
Saluificamq; fidem purgataq; dogmata fuce,
Consilio fretus non leuæ mentis, & ipso

Teste

Teste animo, seros iterum transmittis in annos
Venturosq; iubes rectè sperare nepotes,
Salve magne Pater patrie: Tibi præmia laudum
Nunquam digna satis persoluerit vlla nec ætas
Nec populus: Viuet memori tua gloria fama
Donec erit cælum, donec vaga sidera cælo,
Dum fluuij latices & habebunt flumina ripas.

Talia contabat D R Ymo, & se læta ferebat
Naiadum permixta choro: tum protinus illi
Assensu plausere auræ, plausere fluenta
Albis, & aërij mouere cacumina montes.

FINIS



MC

~~10~~ 3083 ~~Ex~~

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

FINIS



MC



ULB Halle

3

003 932 176







*Cum gratulatio ad Christianum II. Electorem
Principes Duces et Electores Sax. carmine
recensens Dresd. 1583. 4.*

Vc
3085

VSTRISSIMO
CIPPI ET DOMINO
NO CHRISTIANO, DVCI
e, Landgrauio Thuringia, & Marchio
Misnia & Domino suo Clemen
tissimo.



Ubi non est, Christiane Prin
ceps & Domine Illustrissime,
quin populorum dignitas &
gloria coniuncta cum Regum
sit salute atq; fortuna: id enim
& historie veterum & exem
pla recentia testantur, nullam
vnuquam magnam calamitatem
esse, cuius expertes fuissent Gubernatores
populi, quemadmodum nec vlla fuit Regum
re non in subiectos se tanquam vberimini
letissima rigatione effuderit. Atq; ideo
mirabile est, cur magistratum legitimum arbori
vibratili, hominum, ferarum, ac volu
liber conferat Danielis: Nec quis repre
ssit, si vt salutem animæ Dei Verbo, cus
IESV CHRISTI Ecclesia vera est
nitio, ita fortunarum & corporis conser
gibus ac Principibus secundum Deum acc
ceptam

